



1691.

1. Berger, Jo. Henr: Conclusionum forensium exercitatio I.
2. Berger, Jo. Henr: De privilegiis militum circa testamenta.
3. Berger, Jo. Henr: De jure primae licitationis
4. Byschlagius, Jo. Balth: De atris. I.
5. Byschlagius, Jo. Balth: De atris. II.
6. Heber, G. Michael: ordinis Fatorum in aca. Wittenberg. Decanus: navaturis audiendi operam . . .
Juneni Jo. Walters . . . publice solemniterque dicturo.
7. Heber, Georg Michael: De defraudationibus metallicorum circa rem metallicam.
8. Hornius, Korp. Heimirius: De juribus circa separationem singularibus.
9. Hornius, Korp. Heimirius: Utrum in Saxonia actor ad cautionem juratoriam sententia admissus jurjurando se subtrahere queat, si si de juratore postea inveniatur, utrumque velid?
10. Naevius, Joh. Carolus: De aequitatis observandis in judiciis et decidendis factis humanis

1691.

- 11^{a-b} Rochenseen, Christianus: De jure majestatis circa
rem lititariam. 2 Exempl.
- 12^{a-b} Strauss, Godofredus: De civitate mortuis 3. Exempl.
13. Strauss, Godofredus: De appellationibus extra ju-
dicialibus
14. Strykius, Samuel: De negotiis per interpretem
gestis
15. Strykius, Samuel: De principe evincente occasione
l. Lucius 11. D. de evit. . . .
- 16^{a-b} Strykius, Samuel: De jure illustrium et nobilium
communis. 2 Exempl
17. Strykius, Samuel: De remissione inventarii
- 18^{a-b} Strykius, Samuel: De revocacione juris
19. Strykius, Samuel: De dissentu sponsalibus et l.
praeterea. 2 X. de sponsal.
20. Strykius, Samuel: De dissentu unius dispenatorum
et l. praeterea 2 X. de sponsal.

1641

21. Trepper, Andreas: De jure maiestatis eius
Cnestin .

1240.

3

1

DE
MANV REGIA

DISSERTATIO PRIMA

QVAM
DIVINIS AVSPICIIS
FAVENTE

1270

MAGNIFICO IVRECONSULTORVM ORDINE

PRAESIDE

GEORG. TOBIA ALBERTI. D.
PROPONET.

WOLFG. RVDOLPH. AB HOLLERSTEN
EQVES MISNICVS

MENSE FEBRVARIO. cl3 l3c XC.



VITEMBERGAE

LITTERIS MARTINI SCHVLTZI.



M. A. N. V. R. E. G. I. A.

D. I. S. S. E. R. T. A. T. I. O. P. R. I. M. A.

D. I. V. I. N. I. S. A. V. A. S. P. I. C. I. I. S.

M. A. G. I. S. T. R. O. P. A. E. C. O. N. S. I. D. E. R. A. T. I. O. N. I. S.

G. E. O. R. G. T. O. B. I. A. A. L. B. E. R. T. I. D. P. R. O. P. O. N. I. T.

W. O. L. F. G. R. A. D. O. L. P. H. A. E. D. O. C. T. O. R.

M. I. N. I. S. T. R. A. T. I. O. N. I. S.



V. I. T. E. M. P. E. R. A. E.

L. I. T. T. E. R. I. S. M. A. T. T. I. S. P. R. I. N. C. I. P. I. S.



D E

MANV REGIA

DISSERTATIO.

Legantioris iurisprudentiae argumentum expositurus, non aliunde id rectius petere me posse iudicabam, quam e Roma, qua nulla unquam Respublica nec maior, nec sanctior nec bonis exemplis ditior fuit quae apud Graecos a fortitudine, apud Ebraeos a sublimitate, apud Germanos a gloria et fama nomen accepit. Bello & pace foris & domi omnem in partem Romana virtus se probavit. Eorum qui de ciuitatibus censuerunt, constans etiam verosimilis sententia est, nullam vsquam rempublicam, nullam urbem inueniri, in quam plus sibi fortuna permiserit, quam illam, vt Martialis vocat, terrarum deam gentiumque Romam. Huius ciuitatis prospera et aduersa didicisse, quae studia ciuium, qui mores fuerint, per quos viros, quibusque artibus domi militiaeque et partum et auctum imperium sit non postrema ciuilibus prudentiae pars est. Erat Roma caput et sedes imperii orbis aeterna. Vnde ab Ammiano Marcellino urbis aeternae glorioso insignitur titulo:

A 2

a Tul-

a Tullio tertia Catilinaria, arx gentium; in dis-
sertatione Hadriani Imperatoris et Epicteti, fons
imperii orbis terrarum, mater gentium, regum
possessio, pacis aeternae conseruatio dicitur.
Vrbem Romam a principio Reges habuere. De
manu regia non pauciora cumulantur, inter se
pugnantia, quae tamen quis citra pulueris iac-
tum componere potest. Non potestas heri-
lis, neque seuerior alia, heic locum inuenit,
non supercilium tyrannicum, aut vis infinita,
qua rex statuatur secundum liberrimam faculta-
tem, quidquid modo libuerit. Scipio Genti-
lis de iure publico Romanorum *id de regibus Ro-
manis dici non posse, nec a Pomponio dictum existi-
mamus.* Quae de *ἡγεῖς νόμων* tradit Aristote-
les, vigente in regno Laconico huc parum fa-
ciunt. Et si quid similitudinis habuisset illa
lex, adstrictiorem duntaxat potestatem indicas-
set. Heinsiana paraphrasis diductiori sensu:
*Lacedaemone vitae quoque vis ac necis aliqua ex par-
te tantum apud Reges fuit, hoc est quia in castris e-
rant et in milites imperium habebant.* Verum
in primo vrbis incremento maior felicitas re-
gum, maior veneratio ac libertas. Itaque
manu gubernare in praesenti nihil designat aliud,
quam in tanta legum solitudine libera sententia,
arbitratu efficaci, pio auctoritatis plenitudine,
et rei ipsius qualitate, iustissime agere, atque
ciuium lites dirimere. Est qui per manum
intelligit legem, nec opinatur se ratione desti-
tui. Si enim in principis potestate est, fer-
re leges, immo etiam id, quod principi placet,
legis

L.I. de Con-
stit. princ. §. 6.
Inst. de I.N.
G. C.

legis vim habet, adparet vltro, manu ceu lege
ab illo fieri omnia. Sed longius ista petun-
tur cum in verbis enchiridii discernatur iudici-
um ordinarium per leges, instituta veluti com-
paratione temporum insequentium, quibus ad-
prime legibus munita erat ciuitas, a iudicio et
arbitrio praestantissimi cuiusque. Nec opus
est, heic prolixè ingerere, quanta intelligatur
potestas, aut quousque manum porrexerint,
regia maiestate primi Romanorum gubernatores,
quod industria perquam sollicita, inani tamen
ac superuacanea, multi demonstrare voluerunt.
Illud vulgare adhuc est vocem *χειρῆς* apud Grae-
cos, et sic imitatione proxima apud Latinos va-
rio significatu vsurpari, pro varia notione ver-
borum, quorsum adplicatur. Exempla sunt
obuia quae larga etiam manu exhibet nobis *lib. XI. de V. S.*
Briffonius; vt hinc quoque veniam mereamur,
quod studiosi breuitatis non recoquamus ad nau-
seam, quae alibi leguntur ab eruditis obseruata.
Nihil mitius dici poterat, quam hoc ipsum,
de societate recens coalita, vbi haud dubie fu-
tura erant cuncta duriora quae seuerae consti-
tutionis nomen praeferebant. Opus itaque
placida sententia, alloquiis ciuium ac delibera-
tionibus ne ad firmanda primordia digrederen-
tur in partes: contra vero nihil contingebat iis-
dem optatius, quam ei subesse, qui longe remo-
tus a violentia ac suorum caedibus belli pacisque
artibus patriam ornaret. Vulgatum est in
pactis gentium et negotiis quorumlibet difficilio-
ribus, *arbitrium boni viri*, quod in coetus hominum
A 3 adeo

III. Polit. c. XI.

adeo diffunditur ut heic abesse non potuerit. Aristoteles grauer disquirat: *πότερον συμφέρει μάλλον ὑπὸ τὴν ἀείρον ἀνδρὸς ἀρχεῖν ἢ ὑπὸ τῶν ἀρίστων νόμων;* et paene arbitrium optimi principis iuri stricto praefert, quod apud Lacones obtinebat. Qui alio fine id superesse in legibus Romanorum ac partim commendari existimant, velut in pretiis rerum atque aestimatione, in possessionibus et contractibus variis, aut sibi parum conscii sunt, aut spernunt quidquid a doctioribus hac in re annotatum est. Cicero: *quid est in iudicio? directum asperum, simplex; quid est in arbitrio? mite, moderatum, quantum aequius melius sit dari.* Aequum sectabatur et iustum Romulus cum successoribus in regno, in rudimentis aeternae urbis eo collimantes ut lites definirent arbitrio neutri parti acerbo paucis quoque breuibus perspicuis ac necessariis legibus ciuitatem subinde instruerent. Iudiciorum non tam enixa, cura adparebat, non tam strenua formularum obseruatio, vnde minima quaeque cum puluisculo discuti solerent. Quare cum narrat Pomponius: *initio ciuitatis nostrae populus sine lege certa, sine iure certo primum agere instituit: omnia manu regis gubernabantur mansuetiora omnia insinuat, non dominationem potestate illuminata, circumscriptam, sed administrationem populi genio conuenientem, aequali iure singulorum, ac libertate temperatam.* Neque enim haec inuicem pugnant vnius imperio contineri, sibi tamen permitti ad praeclara facinora edenda.

Sane

Sane qui reges olim sumebantur a gentibus, his-
ce tribus potissimum causis dignoscebantur a ce-
teris, vt contra hostes ciuitatem defenderent,
sive tranquillitatem subiectis praestarent, ag-
gressores superbos punirent armis, restituerent
ablata, fines aut custodirent, aut proferrent,
vt iudiciis tollerent priuatorum discordias, et
iustitiam colerent, vt sacrorum curam haberent,
eo prouisu studioque, ne quid contra maio-
rum instituta fieret. Singula vero haec ex-
ercebant cum populi consensu, inque rebus
praeclare gestis communi omnium applausu.
De Ebraeis hoc nouimus e sacris litteris; de Me-
dis idem testatur Herodorus, de Graecis Thu-
cydides. Cicero de Romanis: *mibi videntur
apud maiores nostros seruandae iustitiae causa bene-
morati reges constituti: eodemque fuit constituenda-
rum legum causa quae regum.* Atqui verius
haut quidquam dixerit orator. Quae enim
societas absque vinculo et adprobatione vtrius-
que diu permansit incolumis? si neque do-
mus stare potest, in qua recte factis negantur
praemia, nec peccatis irrogantur poenae, mul-
to minus florebit sine his ampla respublica. E-
quidem ista satis luculenta sunt, dubioque ca-
rent, nisi quod ex altera parte intercedunt non-
nulli qui omnem regibus potestatem ita trans-
cribunt, vt nihil eius cum populo communica-
tum esse velint. Extantiora ipsis argumenta
suppeditat Pomponius, qui *omnia manu regum ad-
ministrata fuisse, omnem reges potestatem habuisse a-*
parte

L. II, de O. I. S.
I. 14.

III. *annal.*
cap. XXVI.

perte scribit. Tacitus quoque: *nobis* inquit,
Romulus ut libitum imperitauerat. At vero lo-

ca opposita interpretatione benigna capi debe-
re, postulat antiqua Romani status ratio, quae
teste historia per triginta et mox aucta ciuitate,
per curias plures in maximis regni negotiis po-
pulum admittebat ac Senatores, qui *patres*, ab
honore & concilio, liberi vero illorum *patricii* ad-
pellabantur. Sic legislatio ab his peracta,

itemque legatio decreta ad vicinos de sanguine
et genere miscendo: sic post Romuli excessum
populo summa potestas data, in rege nouo iu-
bendo, inque magistratu quolibet constituendo:
sic pacis ac belli arbitrium, in certis causis ad
eosdem per tribus et curias deferebatur. Inter

haec supremum iudicium erat penes regem, ni-
hilque ex iis pertinebat ad senatum, quin regi
placeret forte neque ad populum facile transmit-
tebatur. Dionysius Halicarnasseus:

II. *antiqu. n.*
65. 66.

συνεδρίῳ τῆς βουλῆς τιμὴν καὶ δυναστείαν ἀνεθήκε τοῖς
αἰνδεῖς, ὡς παντὸς, ὅταν αὐτῷ εἰσηγεῖται βασιλεὺς
ἀφαιρῶσκειν τε καὶ ψῆφον ἀπιφέρειν, καὶ ὅτι αὐτῷ δό-
ξῃ τοῖς πλείοσι, τῆτο νικᾶν, τῷ δὲ δημοτικῷ πλε-
θει τελεῖα πάντα ἐπέτρεψεν, ἀρχαιρεσιάζειν τε καὶ νό-
μοις ἀπικυροῦν καὶ ὡς πολέμου ἀφαιρῶσκειν, ὅταν ὁ
βασιλεὺς εἴπῃ, ἔδε τούτων ἔχοντι τὴν ἐξουσίαν ἀπι-
ληπτον, αὐτὸ μὴ καὶ ταῦτα δοκῇ τῇ βουλῇ. Vbi

verba, ἀρχαιρεσιάζειν νόμους ἀπικυροῦν tantam
plebi adsignant vim, quantam tribui fas erat
in ciuitate libera. Scilicet regimen hoc tem-

peratissimum est in quo princeps cum suis diui-
sa potentia, diuisis honoribus, ita segerit, vt
maiesta-

maiestatem per obsequia suorum reddat venerabiliorē, ac decore ciuitatis inuitet omnes, qui ad auram liberiorē adspirant. Corporis robusti naturam induit, quod a capite vim suam habet, ac demittit in neruos, quidquid solidum atque duraturum est. Neque primus erat Romulus, qui formam adeo moderatam excogitauit; cum eius maiores in Latio Spartanique apud Graecos olim simili ratione praefuerint regnis. Romae pariter succedentes eam conseruarunt vsque ad Tarquinium superbum. *Liuius: hic regum primus traditum a prioribus morem soluit de omnibus consulendi senatum domesticis consiliis rempublicam administravit bellum, pacem fœdera, societates per se ipse cum quibus voluit, iniussa populi ac senatus fecit diremitque.* *lib. I. historia cap. XLIX.* Vnde patet quid de Pomponii narratione sentiendum sit, deque verbis Taciti, cui *libitum* est prope, quod bono et ordinato sensu adpeti potest. Id modo arbitrium diximus, quo se nesciebat posse Romulus, quod posse non debebat ex ciuitatis probatae contextu, quem sic formauerat vt nulla praua libidine, nulla impotenti licentia, a salute publica recederet. In causis potissimum omnium studiis ad se relatis, hoc obtinebat, quoniam de singulis nondum exstabant leges, vt quod sibi videretur, ac iusti aequiue rationem haberet auctoritate regia ediceret. Qui vero ab isto procedendi more concludunt nullas plane conditas fuisse leges a Romulo, cum his titubant, qui medio soli manum obtendunt, interdium noctem cum imperitis habituri. *Legibus*

B

gibus

III. *annal.*
cap. XXVI.

gibus igitur certis imbuerunt suos quas licet rariores, non tamen omnino nullas fuisse deprehendimus.

Tacitus partite consignat quidquid a Romulo peregerint succedentes.

*Numa religionibus et iure diuino populum deuinxit, re-
pertaque quaedam a Tullo et Anco.*

*Sed praecipuus Seruius Tullius auctor legum fuit, quae etiam
reges obtemperarent.*

*Pomponius: Leges
quasdam et Romulus curiatis ad populum tulit; tu-
lerunt et sequentes reges.*

Si ordinem consideremus legum promulgatarum, quem historici seruant de sacris peragendis lex nulla statim, post regem constitutum Romulum, fuit proposita.

Quando enim ipse plausu totius populi tantum fastigium attigisset, quo magis constaret de numinis prouidentia, laetoque regni auspicio, caesis hostiis de coelo seruauit, emicante coeli fulgure, se Diis probari sensit. Sacro istoc solenni functus est, nulla fixa lege, quam sequeretur in publica inauguratione sed impetu religioso et more patrio a Graecis in Latium transeunte.

Id potius exemplo fuit posteris, ne quem regnare facile paterentur, quin coelitus adparuisset eum fore dignum.

II. *antiqu.*
n. 16.

Dionysius Halicarnasseus: κατέστησεν ἐν ἔθνει τοῖς
μετ' αὐτὸν ἄπεισι, μήτε βασιλείας, μήτε ἀρχὰς λαμβάνειν, εἰὰν μὴ, καὶ τὸ δαιμόιον αὐτοῖς δεσπίζῃ.

Neque vanum hoc reputandum maiestatis regiae honorem a Deo auspicari velle, aut quasi promiscue hoc neglexerint.

Tanto videlicet muneri nouerant ex alto spiritum iuxta vitamque tribui, vnde porro felicitas ad omnes propagaretur.

garetur. Tria sunt in qualibet societate probe noscenda, cultus diuinus, quo cuncta prospere cedunt mortalibus, iustitia et temperantia, per quas aequalitas ciuium conseruatur, itemque virtus militaris qua tranquille viuunt ac tuti ab iniquis oppressoribus. Per haec florent

Respublicae, et quo magis coluntur, eo citius aeternitatem largiuntur. Qui primordia

Romanorum ex priscis monumentis describunt, fulcrum hoc triplex in oculis habuisse reges produnt, donec per contemptum et interitum quoque suum experiretur vltimus, quam esset periculosum vel vnum ex istis labefactare. Nulla sane res multitudinem efficacius regit, quam

superstitio, alioquin impotens, saeua, mutabilis, vbi semel religione capta est melius ratio quam ducibus paret. Hoc philtro de-

mentarunt subiectos sibi populos Reges, Scipio Africanus, L. Sulla, Q. Sertorius, Minos, Pistratus, Lycurgus, Zaleucus, qui cum Diis Deabusue colloquium consortiumque fingeant.

Midas quoque Phrygiam religionibus impleuisse dicitur, quibus tutior omni vita, quam armis fuit.

Romulus cum Numa quae propter Religionem, sacerdotum frugalitatem et castimoniam, sacrificiorum ritus, ferias, expiationes, manes ac sepulcra statuerint, prolixè exposuerunt alii.

Potissimum vero laudatur constitutio Romuli, circa numinis cultum qua fabulas prohibuit ac theologiam quam Varro *μυθικὴν* dixit e ciuitate sua proscripsit.

Ratio erat, quod *ἐν μύθοις βλασφημίαι πνέει εἰς καὶ αὐτῶν* Ratio erat, *l. antiqu. n. 68*

nempe θεῶν, ἢ κατηγορίας. item, παρεσκέυασθε
τῆς ἀνθρώπων κορπίσας ὡς θεῶν λέγειν τε καὶ φερεῖν,
μηδὲν αὐτοῖς προσάπτοντας ἀνάξιον ἀπιδεύμα
τῆς μακαρίας φύσεως.

Immo verosimillimum est, illum praeterea non nisi vnicum Iouem vtut sub variis nominibus coluisse. Ex regibus

hiscē institutis tanquam ex fonte manarunt plures in libertate, earumque memoria tam fuit sancta, vt veteres Iureconfulti et per hos Iustinianus Aug. legis regiae de praegnante mortua

L. 2. de mort. infer.

fragmentum in pandectis adseruarint. Nummae fuisse illam Iustus Lipsius existimat et cum eo doctiores plerique quod rex iste de mortuis et iure manium multa praeceperit. Equidem

L. 18. de statu hominum.

legibus Romanis praegnantēs neque torqueri neque damnari possunt. Clemens Alexandrinus:

*L. 3. de penis sermoneων
l. 2.*

ἐν τεύθειν καὶ ῥωμαῖοι, εἰ καὶ τις ἔγκοθι καταδικασθῆναι τὴν ἀπὸ θανάτου, ἔπειτα ἰῶσιν ὑποχεῖν τὴν πικρῆν, πρὶν ἢ ἐκτελεῖν. Quis autem dubitauerit, magnam harum partem, etiam post exactos reges constanter obtinuisse? Religio certe cum regibus non fuit eiurata, caerimoniae manserunt eadem, ipsa denique cultus externi ratio semper ad primam institutionem diligentissime exigebatur a posteris, quippe in sacris ea maxime capiunt homines, quae sunt antiquissima. Ad haec patres ab initio vrbis procurabant sacra, lege regia quam sine ingenti suorum damno, iam statu mutato adspernari haut poterant. Dionysius Halicarnasseus de Romulo ἐξ ἐκάστης φερέτης ἐνομοθέτησεν δωδεκήμερον δύο τοὺς ὑπὲρ πενήκτα ἔτη γεγονότας τὰς ἡμέρας πρὸς χοντας τῶν ἀλλῶν, καὶ ἀρετῆς ἀφύργου, καὶ χρημάτων

antiq. n. 9

των

των πεισίων ἔχοντας ἀρκούσαν, καὶ μηδὲν ἡλαττω-
μῶς τῶν πρὸ τοῦ σώματος. *Liuius auctor est, lib. X. histor. c. VI.*

longe post creatos tribunos extitisse Ogulnios
qui eminentiores ex ciuibus accenderent contra
patricios, quasi soli huc vsque sacerdotia habe-
rent, vt cum plebe aequaliter communicarent.
Vnde series religiosa a prima institutione et ordo
sacri muneris abunde patet. Instat forte,
qui haec iuris publici capita dicat apud vete-
res, ex quibus prudentiae ciuilis ambigua fors
non tam accurate cognoscatur, cui responde-
mus, haec ita quondam connexa fuisse, vt,
quamuis publica essent, ad singulorum tamen
utilitatem spectasse, crederent omnes.

Non alia ratione magis conciliare inui-
cem poterat Romulus animos populi, ac si publi-
ce sanciret, quod nexu firmiori obstringeret
vniuersos et ad officia mutua prouocaret. Ni-
hil ad tranquillitatem excogitare poterat effica-
cius, quam iure aequabili referre ad sese iuan-
dos, qui alias in partes iuissent. Patronus,
siue quisque ingenio, virtute et opibus clarior
in vrbe infirmiores, rerum imperitos, et natura
meticulosos, tanquam clientes contra iniquos a-
liorum conatus tueri cogebatur, quo ipso sapi-
entissimus rex nobiles discernebat ab ignobili-
bus, eximios, manuque et indole praestantes,
a fece plebis vltima. Maxime vero consiste-
bat munus viri nobilis ac patroni in iuris et ae-
qui notitia, quo de respondere debebat, quo-
ties rogaretur a cliente, vt adeo hinc magis elu-
ceat, quodnam tunc *optimi cuiusque arbitrium*,
fuerit. Nempe statim haut erat perfectum,

B 3.

quod

quod in tanta multitudine nuper coeptum, cui
regendae tamen coercendaeue praestantiores
cum rege intentos esse decebat. Obiurga-
tio igitur illa Q. Mutii, *turpe est patricio ac nobili,*
L. II. de O. I. S. *ius ignorare civitatis in qua versatur,* non est illo-
rum temporum, sed ab origine urbis repetenda,
quando patroni, iuris et aequi interpretes plebi
imbelli ac humili praeficerentur. Patroni
causarum hinc quoque nomen ac munus adepti.
Cicero: *quid est turpius, quam legitimarum et ci-
vilium controversiarum patrocinia suscipere, cum sis
legum ac iuris civilis ignarus?* Ipse etiam mos re-
spondendi, de iure in foro, inque aedibus
prudentum, non cum tabulis introducebatur,
demum, cum de sensu legum perplexo et uni-
versali, de legum adplicatione disputaretur,
quod heic sub regno inualuisse illum discamus
quanquam negari vix queat, aliter se gessisse,
patronos ab initio, paucis legibus instructos,
aliter postea respondisse iurisperitos sub consu-
libus, tabulis propositis observatione consueta,
et antecessorum interpretationibus nixos. Sal-
lustius apud Augustinum: *ius bonumque apud
eos non legibus magis quam natura valebat.* Sed
a regia et media via desciscimus. L. Piso am-
bitum fori corrupta iudicia, faevitiam oratorum,
accusationes minitantium increpans, abire se et
cedere vrbe, victurum in aliquo rure testaba-
tur. Tres sunt iustitiae pestes, corrupti iu-
dices, longae ac pene aeternae lites, et denique
advocatorum inscitia atque improbitas; Hinc
iura et iudicia res sanctissimas et humano gene-
ri saluberrimas cuncti abhorrent, abominantur; dete-

detestantur ; Dolendum sane est nunc adeo
peruersam et ineptam plerumque esse studiorum
rationem , vt non mirandum sit, ex male culto
ingenio nullos aut malos prouenire fructus.
Sunt qui neque latinam linguam vel mediocriter
docti, neque humanioribus litteris, vel leuiter tin-
cti ad ius addiscendum male sanum animum ap-
plicant. Vbi cum difficultatem, et sine aliarum lit-
terarum subsidio in nauigabilem Oceanum perspe-
xerint, aut infeliciter caepto labori succumbunt,
aut, ne nihil egisse videantur, ordinem iudicio-
rum et scribendorum testamentorum contractu-
umque formulas ediscunt. Inde in forum,
et ad iurgia prouolant, cumque caussarum me-
rita non intelligant, in solis iudiciorum solemnibus
haerentes, infelices et imperiti nautae ve-
torem, qui suas illis fortunas commisit, perdi-
tum eunt. Per multos esse intelligo qui cum
elementa iuris a Iustiano cupidae legum iu-
uentuti tradita ne primoribus quidem labiis de-
gustassent Brocardicis miserimis iura crepare,
et in peruulgatae alicuius iuris regulae proba-
tionem sexcentas plerumque auctoritates proferre
non dubitant. En Scripturam cum coepis-
sent IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESU
CHRISTI AMEN addunt L. II. C. de offic.
praef. praet. affric. et regulam illam logicam,
posita causa ponitur effectus similesque innume-
ris legibus et auctoritatibus iureconsultorum fir-
mant. Atque olim quidem apud seculum
prius monstris eiusmodi honor et admiratio fuit.
Nam demersi altissimis tenebris omnes parum
curabant quibus oculis adspicerent veritatem,
qua

qua methodo, quo ore tandem ac lingua apud
suos et posteros loquerentur. Postea forti-
ter profligavit istum scribendi morem limatio-
aetas, et hodie aures peruelli omnibus debent,
qui exemplo forte nocere in illa litterarum cla-
ritate possunt. At quorsum dilabimur;
Patronatus officium quibus partibus circumscri-
batur et contra quousque cliens obligetur, ex
antiquo iure pariter et legibus quae supersunt,
manifestum est. Praeter id quod Patro-
nus doceret quid iuste peti et haberi posset,
quid fugiendum esset, absentis quoque curam
fuscipiebat, et negotia illius non aliter ac sua
administrabat. Quidquid sibi parabat
cliens, vnde patiebatur detrimentum; patroni
studio reducebatur, quasi decreuisset sibi: quid-
quid in fraudem eius fiebat, huius prudentia
corrigebatur. Non cliens accusabatur,
sed patronus cuius periculo in foro discuti-
bantur lites, et si non congruam adhiberet o-
peram, id summo dedecori erat. Seuere
in patronos fraudulentos Romani animadverte-
bant atque huius prisca iuris decemviri aliquam
in suis tabulis memoriam superesse volebant.
Ius igitur istud patronatus a Romulo uti intro-
ductum fuit ita in suas quoque tabulas, his ver-
bis transtulerunt: PATRONVS. SI. CLIENTI
FRAVDEM. FAXIT. SACER. ESTO. Iste
enim, qui criminis fuisset conuictus proditionis
lege quam Romulus sanxerat tenebatur,
et cuius ut Diti sacrum hunc interficere lice-

II. antiq. n. 63 bat.

Dionysius Halicarnasseus: *os de*
o'lyga

ἐπίχα πρὸ πολλῶν ἀπίσι εἶποι, πᾶσαν αὐτοῖς εἰρήνην τῶν κ-
ιδίων καὶ τῶν κοινῶν πραγμάτων, ἢ μάλιστα εἰδέοντο, πα-
ρέχειν, clienti quietem cuius desiderio maxime vrge-
batur conferuare debebat.

Ex altera parte non
minora praeftabant iure clientelae homines ple-
beii, si forsan patronus collocaret filiam alteri
dotem ipsi largitionibus suis augebant, quilibet
pro facultatum modulo ne ingratus videretur.

Si captus ab hostibus esset Patronus, aut quis
tantum ex liberis, si caussa in foro cecidisset,
pecunia mulctandus, si magistratum gereret nec
propriis eum viribus posset sustinere cum gloria
vbique conferebant liberali manu clientes et o-
pe sua patronum benigne adiuuabant.

Hoc
tamen institutum cessasse deinceps indicat Plu-
tarchus: ὕστερον δὲ τῶν ἀλλῶν δικαίων μέγιστων, τὸ
λαμβάνειν χρήματα τοῖς δυνατοῖς πρὸς τῶν ταπεινοτέ-
ρων, αἰσχρὸν ἐνομίσθη καὶ ἀγενές.

Communia
vtrinq̄ue erant nequis alterum accusaret multo-
minus contra alterum ferret testimonium, ne-
quis inimicaretur aut clam laederet alterum; e-
rat enim patronus cum cliente vna quasi perso-
na.

Polybius tam salutare consilium ἰσορρο-
πον καὶ ζυγοστατούμενον vocat, ὡς μηδαμῶς νεύη, μηδ'
ἐπὶ πολὺ κατερέξει πολίτευμα. In hoc enim re-
ciproco beneficiorum fluxu, quid praeclarius ad
concordiam fingi potest? neque alio respectu
iidem cognati inuicem, amici atque proximi ad-
pellantur, quam quia secundorum dubiorum-
que consortes erant.

Iustinus: quinquaginta lib. XV. epi-
cognatos relati clientes in insidiis locant. De nobi-
lissimis iuuenibus, Chione ac Leonide sermo
est,

Caesar V. lib. 1. c. 1. p. 117.

Diogenes Laertius II. c. 1. p. 117.

in Vita Ro-
muli p. XXV.

lib. VI.

lib. XV. epi-
tom. c. V.

C

est,



est, qui patriam a tyrannide liberaturi Clear-
chum occupabant. Minus ideo coniectura
quadrat editoris diligentissimi qui *veluti clientes*
reponit inter glossemata, et sic expungenda

Caesar V. de censet, cum iidem sequenti numero dican-
B. G. cap. tur *socii* pari significatione amicitiae clientelaeue
XXXIX. Caesar in commentariis: *magna manu horum socii*

et clientes legionem oppugnare incipiunt. Omnia
complexus est paucis verus antiquitatis Roma-
nae thesaurus *διέμειναν ἐν ποδαῖς γενεαῖς ἔδεν δια-*

Dion. II. an- *Φέγουσαι συγγενικῶν ἀναγκαιοτήτων αἰ τῶν πελοπῶν τε*
βίβλ. II. 64. *καὶ πελοπῶν συζυγίαι πασι παίδων σονισάμεναι,* per

multas aetates duravit mutuum hoc vinculum
non secus ac inter necessarios ad posteros velut
hereditate transmissum quibus maxima laus erat,
habere clientes quamplurimos a maioribus reli-

ctos et propria virtute partos. Priscis igitur
seculis omnia manu regia aequali iure singulo-
rum et libertate temperata gubernabantur. E-

rat regis sola naturae ratio, et iuris et iniuriae
regula. Sane non quilibet creabatur, sed qui vir-

tute consilio prudentia ac animi robore praesta-

bat, qui hostes propulsare, labores suscipere,
pericula adire et cum in discrimen veniretur

rem expedire, consiliumque ex tempore cape-

re poterat, qui non amore aut odio, non cupi-

ditate aut iracundia ducebatur ad iudicandum,
sed quod ius quod aequitas et veritas postula-

bat id omnibus in rebus constituebat, id seque-
batur et tuebatur. Mutato per reges, lege
abinratos publico statu quadantenus mutatum
est ius patrocinii cum plebs ad maiorem liberta-
tem

tem peruenisset, imprimis vero tribunis postea
magna auctoritate praeualentibus. Interim
semper manserunt eius reliquiae, ut, quod ad
rem ipsam, nihil acciderit, quo penitus tolle-
retur. Cicero testis est, republica florente
non intra urbem obtitisse solum nec in familiis
nobilioribus, sed ad integras gentes prolatum
esse: *in quo tantopere apud nostros iustitia culta est,
ut ii, qui ciuitates aut nationes, bello deuictas in fidem
recepissent earum patroni essent, more maiorum.* Scilicet
clientelae duplicis erant naturae, aliae publi-
cae, de quibus Tullius in praesenti loquitur,
aliae priuatae, quas modo descripsimus. Il-
lae quoque vocantur maximae, a potentia et
commodis, quae inde solebant quotannis redi-
re. Ita Scipiones, Africae domitores, Poe-
norum erant Patroni, Marcelli Siculorum, Cap-
padocum M. Cato, Lacedaemoniorum Claudii,
aliarum prouinciarum alii erant. In antiquis
marmoribus audiunt PATRONI COLONIA-
RUM, quae ad hos, referebant, quidquid sua
intererat, inque senatu Romano curari de-
bebat. Sed et qui non pacati erant, ius ad-
plicandi habebant in vrbe, cuiuscunque fi-
dem amicitiamque sequi vellent, ac sese
illi dare in clientelam. Velleius Paterculus *II. hist. cap.
XXIX.*
*Cn. Pompeius ad vindicandam patriae dignitatem fir-
mum ex agro Piceno qui totus paternis eius clientelis re-
fertus erat, contraxit exercitum.* Sub impera-
toribus commonstrabant simile quid, *patrocinia
virorum, colonorum rusticorum.* In quem fi-
nem leges Constantii, Valentis et Arcadii latae *i. C. Tb. de
sunt, patr. sic. item*

*C. iust. Et ne
mo.*

sunt, quibus omnino prohibentur, exactio-
num iniquissimarum ac tributorum contempla-
tione, quibus patroni molesti admodum fue-
runt clientibus. Hic amplum daretur spa-
tium digrediendi ad hodierna iura de protectio-
nibus, advocatiis, mundiburdiiis, ac federi-
bus inaequalibus sed vereor ne sit hoc extra or-
bitam vagari. Priuatae clientelae, quod mi-
nori cum splendore coniungantur plerumque,
nomen hoc absolute merentur. Lucunda dis-
ceptatio superest apud A. Gellium, cuius pars
ipse fuit de officiis clientum et quo gradu sole-
ant comparari. Facile concessum est, ex
moribus populi Romani, primum locum iuxta
parentes tenere pupillos secundum eos proxi-
mum habere clientes, qui sese in fidem patroci-
niumque dederint alterius, in tertio consistere
hospites. Massurius Sabinus contra hospiti anti-
quorem conuenire locum aiebat, quam clienti.
Neque dubium est, magnam fuisse differen-
tiam inter clientes qui se ad plicuerant, ac propter
tutela in alterius patrocinium sponte venerant,
interque hos, qui ex iusta seruitute manumissi
agnoscere patronum cogebantur sicut filii geni-
torem. Adeo diffusa est materia horum in
toto iuris volumine, ut origines patrocinii scri-
tari non in utile censeatur, ad illustrandas prae-
cipue successiones, ubi quasi patres inuicem et
quasi agnati habentur sibi que ipsis intestato suc-
cedunt. Iustinianus ex legibus XII. tabula-
rum obtinuisse statuit et sic quoque tutelam le-
gitimam patronis interpretatione civili ex eo-
dema

*U. C. de bon.
libert.*

*U. C. de legit.
patro tutela.
L. 2. de adim.
leg.*

dem tabularum iure adscribit. Ratio constat quia nemo propinquior est liberto qui eius beneficio velut nouus homo factus est, cum antea pro mortuo in ciuitate iudicaretur. At qui hinc porro sequitur agnatos patroni ipsius etiam liberti agnatos videri eoque pertinere quod Papinianus censuit *libertos esse coniunctos patroni liberis.* Imperator rursus *ως ἐγγενηι* pronunciat, *cognationis iure libertis succedi,* item *paene consonantia iura ingenuitatis ac libertatis in successibus fecimus.* Quae tamen necessitudo non ex hac magis aetate quam seculis priscis aestimari debet. Inscriptiones passim iura sepulcrorum, libertis cum patronis communia nobis ostentant, e quibus pauca exempla posuisse sufficiat

l. 72. de condit. & demonstr.
l. 4. C. de bon. libert.

MANIBUS GENTIS SVAE
LIBERTIS LIBERTABVS
OSSIBVS PONENDIS
O. VIII.
VEDIAE C. L. IVCVNDAE
VXORI
H. M. H. N. S.
IN FR. F. XI. IN AG. P. XV.

C 3 D. M.



D. M.
VLPIAE. VITALI. FECIT FVFI
CIVS. FELIX. AMICAE SVAE FIDE
LISSIMAE QVAE SIBI MORIENS
FIDEM SERAVIT
ET SIBI LIBERTIS LIBERTA
BVSQVE SVIS POSTERISQ. EORVM.

D. M.
INGENVAE CARAE
BENEMERENTI FECIT
CALLIDROMVS CONIVGI
ET LIBERALIS ET CLYMENVVS
CAES. N. SER. CONNATI EIVS
FECERVNT SIBI ET SVIS. LIB.
LIBERTABVSQ. POSTERISQ.
EORVM.

Plura exhibet Ian. Gruterus in amplo monu-
mentorum veterum theatro & CL. Reinesius
in aeterno inscriptionum antiquarum opere.

Regum Ducumque clementia non in ipsorum
modo sed etiam in illorum qui parent, ingeniis
sita est. Obsequio mitigantur imperia vbi
vero reuerentia excessit animis, & summa imis
confundimus, vi opus est vt vim repellamus.
Regnorum rerumpue publicarum administrato-
res plerumque prout subditorum ingenia sunt,
asper

asperis mitesue [deprehenduntur], et mollibus il-
laesis vt fulmina dura frangunt. Romulus
aetate suo bello & pace Regem praestitit et de-
cus insigni animi altitudine tenuit qua sibi pe-
perit talemque esse optauit qualem credi se vo-
luit, Rex vita propositoque similis & virtute
fortunaque pari hoc adeptus vt summis semper
rebus gerendis rationem adhiberet, gestas-
que vellet esse honesto exemplo. Equi-
dem magnas habet natura varietates viri-
um et agendi vicissitudines quas scrutari magis,
quam pernoscere licebit. Coniugii lex Romulea
in eo consistit potissimum vt more decenti vi-
uant inuicem vxor et maritus neque commit-
tant vsperiam, quod honestati foret aduersum.
Haec enim tanquam legis anima e statutis Ro-
muli adparet vbique, quare et qui de origine le-
gum inter nostros egerunt sapientiam huius re-
gis et aequitatem in statuendo impense laudant.
Originem si teneamus, quo disposuit singula,
nihil praeclarius inuenimus, nihil ad iura
subiectis reddenda accomodatius. Marito *L. 196. de V. S.*
qui princeps familiae & in domo dominium ha-
bere dicitur, liberiore in domo curanda prae-
scripsit facultatem, vxori vero *σύνδεσμον ἀναγκάϊον*
οἰκειότητος ἀδιαλύτου insolubile vinculum, siue in-
diuiduam vitae consuetudinem commendauit
nisi per graua delicta communione tam sancta
fieret indigna. Apud Latinos DOMINAE
ab amatoribus suis amantissimis primis tempo-
ribus salutantur. Ouidius

Hei mihi! quod Dominam nec vir nec femina seruas

Nec

Nec solae amasiae a suis amatoribus verum
etiam a maritis uxores ita olim dictae.

L XIX. de an-
nuis legat.

Qui Marco homini docto, certa
annua praestabat testamento cauit: Domina sanctissima

Euolu. L. 41
de Leg. 3.

runtamen et Marco dari obtingentia volo et lege
ultima de auro et argento: Vxori suae testamen-
to ita legatum est Semproniae meae Dominae meae, hoc

Consul. Ian.
Gruterus,

amplius argentum balneare. In monumentis vete-
rum uxores a viris Dominae dicuntur

DOMINAE ET CONIVGI KARISSIMAE
OBEXIMIAM ERGA SE PVDICITIAM.

Apud Athenienses uxorem τὴν κτητὴν famulam;
maritum τὸν κύριον dominum appellabant.

ad Hesiodi
ἔργα καὶ ἡ-
μέρας

Audiamus diffusae eruditionis virum Da-
nielem Heinsium notarunt jam olim viri do-
cti philosophum in oeconomicis, etiam τὴν κτητὴν
pro coniuge sumere. In iure certe attico etiam con-
iux inter τὰ κτήματα numerabatur et maritus ὁ κύριος

appellatur: unde cum his intentaretur uxori praeco
clamabat: Η ΔΕΙΝΑ ΚΑΙ Ο ΚΥΡΙΟΣ. Qua oc-
casione Comicus Smicythen perstringens parumque viri-

lem ostendens κύριον illi dat: οὐκ ἔστιν ἄλλο τι πρὸς τὴν οἰκίαν ἢ ἡ γυναῖκα

in Rom. p. 31.

Plutarchus acerbum nimis existimat uxori pote-
statem adimi a viro discedendi, contra huic dari
illam exigendi dimittendiue ἔθνη δὲ καὶ νόμοι τινες
ὡς σφοδρὸς μὲν ἐστὶ γυναικὶ μὴ διδῆς ἀπολείπειν ἄνδρα αἱ γι-
ναικα δὲ διδοῦς ἐκβαλεῖν Verum adprobat sic magis
Atheniensium mores. quibus in pluribus reue-

III. Onom. c.

rentiam habet, apud quos, notante Polluce,

III. 15.

receptum ius eiciendi uxorem ἀποπομπῆς δίκη

αε

ac vicissim ius relinquendi maritum, *δίκη ἄνδρος*
τῷ ἀνδρὶ ἀπολείψεως si quidem causa prius iudi-
cibus denunciata fuisset. Praestantiam na-
turae legislator noster ac reliquarum gentium
instituta secutus est quibus viro domi concede-
batur imperium civile tamen ac moderatum.
Contra si parem foeminis libertatem indulgisset,
multa utrinque mala consequi potuissent, quip-
pe sunt indole molliore, fluxa et mutabili
quaeque facillime iure suo ad licentiam abu-
tuntur. Sed ne mariti similiter excede-
rent salubri consilio prospexit, ut de crimine
suspectos atque laesione enormi non punirent
soli, sed in arbitrium vocarent vxorum cogna-
tos. Suetonius: *matronae prostratae pudici-
tiae quibus accusator publicus deesset ut propinqui ma-
iorum more de communi sententia coercerent, au-*
ctor fuit, ubi verba; more maiorum ad regia
vsque tempora sunt proferenda. Neque
enim cum vulgo existimemus Romulum pro-
miscue manus armasse coniugum, ut quan-
docunque in crimine deprehendissent suas ne-
care impune potuerint. Io Bodino cruenta *meth. histor.*
et inhumana placent omnia qui ea propter *cap. IV.*
Cuiacium petulanter incesit quod verbum Ha-
licarnassei *ζημιῶν* de poena leuiore capiat, at-
qui facile conciliatur vterque si libido contra-
nitendi absit. Cognitione sane opus erat,
aut si ex ira ei vehementi dolore homicidium
admissum probari adhuc facti atrocitas solebat.
Valerius Maximus, cum priuatae vindictae ex- *Lib. VI. cap. I.*
empla narrasset, sub finem addit: *quibus irae*
D *suae*

suae indulgisse fraudi non fuit, praecipue si mari-
ti personas turpes violasse eorum reperiissent.
Conf. l. 24. Inter haec vxor pudica, castimoniae et vitae
π. ad L. Iul. de adult. honestae addicta marito per obsequia deuota,
aeque ac ille domus erat domina, *ἡ κεφαλὴ τῆ οἰκίας
τῶν αὐτῶν τελευτῶν*, inque eius bona succedebat he-
Dion. ii. an- res. ficut filia in parentis; exasse quidem,
tiqu. n. 71. si is sine liberis atque intestatus decederet,
quod si prolem haberet, ex aequo cum libe-
ris. *de* Erat huius legis tam sancta memoria,
vt a quinto denique saeculo vrbs conditae pro-
pudiosa matrimonii exempla obuenerent. An-
tea enim nullas rei vxoriae neque actiones, ne-
que cautiones in Latio fuisse vno quasi ore
Scriptores fatentur. Seruius Sulpitius, de
dotibus cautiones tunc primum necessarias fuis-
se tradit, cum Sp. Caruilus, cui Ruga co-
gnomentum diuortium cum vxore fecit, quia
liberi ex ea corporis vitio non gignerentur.
Dionysius Halicarnasseus tempus accurate de-
signat olympiade septima supra centesimam ac
trigesimam M. Pomponio. C. Papirio Coss.
*ἡμολογεῖται γὰρ ἔντις ἑτῶν εἰκοσι καὶ πεντακοσίων
μηδεὶς ἐν Ῥώμῃ ἀφελυθῆναι γάμου.* Tertullia-
nus: *ubi est illa felicitas matrimoniorum, Roma-
nos alloquitur de moribus vtiq; prosperata, qua per
annos ferme sexcentos ab vrbe condita nulla repudium
domus scripsit? nunc in feminis prae auro nullum le-
ne est membrum, prae vino nullum liberum est oscu-
lum.* Repudium vero iam et votum est, quasi
matrimonii fructus. Exprobrat pater grauissi-
mus libidinosam repudii frequentiam Romanis,
vnde

vnde per cum dicebantur nonnulli eorum
triumviri, quinquaviri, qui tres quinqvies aut
etiam saepius e domo uxores dimiserant. Com-
ponit ita saeculi labentis genium cum antiquis
moribus, vt ineptias perfringeret multo-
rum, qui velut rudes negligebant
maiores. Plura alio die

repraesentabimus.

GRATIAS TIBI BENIGNISSIMUM
NUMEN.

G. TOBIAS ALBERTI, D.

GENEROSO IUVENI

WOLFG. RVDOLPH. AB HOLLWESSEN
FELICITATEM!

Nihil equidem rectius abs te fieri pote-
rat, quam vt ingenii tui ac elegan-
tiorum studiorum documentum publican-
do, testeris omnibus minime te Vacunae
litare, nec vulgi more sine praesidio littera-
rum et cultu ad sapientiam contendere aut
perfunctorie magna aggredi. Itaque vt
laudibus merito excitandus es, ne vnquam
retrahi te ab industria et tradi in otium pa-
tiaris: sicutuo exemplo vellem plures matu-
re sequerentur, regiam illam viam nec aut

D. 3

in

in scholis negligenter necessaria fundamenta, aut in academiis tam secure contemnerent, quod opinione quidem superuacaneae doctrinae, sed magno tandem reipublicae detrimento ignoratur. Est omnium artium doctrinarumque similitudo et cognatio quaedam et ipsa adeo iurisprudentia non recusat, nedum reiicit ornamenta quae ab humanioribus literis et antiquitate profiscuntur. Guilielmus Budaeus, Iacobus Cuiacius, Iacobus Gothofredi, Fr. Duarenus hac elegantia se commendant et erubescendos aliorum errores castigant et arguunt nec minus Graecorum auctoritate sententias firmant. Dolendum sane plurimos rudia adhuc et inculta ingenia aut ad philosophiam appellere, idque nimis quam oscitanter, aut vitatis et istis ambagibus statim applicare ad theologiam, iurisprudentiam, ac medicinam, ignaros, illud studiorum praecox genus nunquam solidam ad frugem peruenturum. Postquam igitur vana persuasio cunctorum animos inuasit, doctrinam ac litteras rem esse penitus plebeiam atque

atque ignobile otium a quo aduersus inopiam
frustra praesidium expectatur, totis viis ad
quaestum et diuitias properatur, nec quis-
quam est qui non opulentus atque indoctus au-
dire, quam celebrari malit et esurire. Usque
adeo degenerauimus a veterum diligentia, ut
quum ad summa omnia pro se quemque con-
tendere fas sit ne mediocria quidem nobis pro-
ponamus; nemo ex viris doctrina et fama con-
spicuis diligit, quem colat ac sequatur sed sibi
quisque pro regula sit et exemplo et miraculo.
Per multos esse intelligo qui cassi ac rudes re-
rum omnium in ordine studiorum tam supine
rem agunt, tam longe a vero deflectunt tra-
mite ut errorum instar aliquamdiu per audi-
toria vagati et vix vocabulorum artis intelli-
gentes, inscitiam tanta sibi temporis iactura
emtam ipsis scientiis adscribant, et studia sa-
pientiae inania esse ac nullius in ceteris usus
vociferentur. Quosdam videas, qui dul-
cissimo animorum pabulo ac blandimento a-
more sui ipsius seu φιλαυτία et gloria nomi-
nis futuri decepti, atque iudicii praesidiis non
aeque instructi πολυλογοι animo desultorio
per omnes disciplinas volitant de rebus inter

se longe diversissimis, de mathematicis scientiis, de medicina, de iure libros componunt, abortus faciunt, prolapsamque effundunt sarcinam, sed nusquam habitant qui ubique habitant. Non sine causa Archidamus Agesilai filius Periandrum irrisit, quod cum bonus esset medicus, Poeticae vacaret, et mala scriberet carmina. Ceterum audaculis elegantioris iurisprudentialiae obtrectatoribus et stultae ambitionis hominibus quibus promptius est carpere vel optima, quam capere ac imitari relinquere quod suum est, neque eorum sordes contrectare affecto quibus CONTEMPTVS BONARVM LITTERARVM IRERTIAE VELAMEN GRANDE SUPERCILIVM INTEMPESTIVS TVMOR LEGVM FRONS RVGOSA opinionem sapientiae conciliauit. Aegros oculos, et municipalem aeruginem ut minime ambit animus secum habitans: ita nec superbe deprccatur, nec reformidat humiliter et vitio magis saeculi, quam suis meritis imputat. Tu vero generose iuuenis alacris ac fortis insta praeclaris coeptis, utque diu studere possis diu viue ac vale. Scribebam Vitembergae, die XIV. FEBRVARII cl^o l^o c^o XC.


ULB Halle 3
002 120 747



TA-200

2017







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

E
REGIA
NO PRIMA
A M
VSPICHIIS
NTE
SVLTORVM ORDINE
SIDE
A ALBERTI. D.
ONET.
AB HOLLERSTEN
SNICVS
RIO. cl. l. c. XG.



ERGAE
NI SCHULTZI.

1
3

